Q. D. B. V.

DISSERTATIO INAVGVRALIS MEDICA

DE

PODAGRA

EIUSQVE

CURATIONE MAGNETICA

QVAM

RECTORE MAGNIFICENTISSIMO

SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO

DN. VVILHELMO HENRICO

DVCE SAXONIÆ IVLIACI CLIVIÆ AC MONTIVM ANGARIÆ ITEM WESTPHALIÆQVE ETC.

PRÆSIDE

JO. HADRIANO SLEVOGTIO

HEREDITARIO IN Ober-Roßla

MED. D. ANAT. CHIRURG. ET BOTAN. P.P. ITEMQVE MEDICO DUCALI PROVINCIALI

PATRONO PROMOTORE AC PRÆCEPTORE SVO VENERANDO

PRO LICENTIA

SVMMOS IN ARTE MEDICA HONORES INSIGNIA ET PRIVILEGIA DOCTORALIA

MAJORVM MORE RITE CAPESSENDI

PVBLICO ERVDITORVM EXAMINI EXPOSITA

A

JOANNE CHRISTIANO ESAV

MENGERINGHVSA-WALDECCO.

IN AVDITORIO MEDICO

HORIS ANTE ET POMERIDIANIS AD D. VIII AVG. MDCCXVIII.

JENÆ LITERIS MVLLERIANIS.

SERENISSIMO PRINCIPI AC DOMINO

DOMINO

FRANCISCO JOSIÆ

DUCI SAXONIÆ JULIÆ CLIVIÆ AC MONTIVM ANGARIÆ ET VVESTPHALIÆ LANDGRAVIO THVRINGIÆ MARCHIONI MISNIÆ PRINCIPI- COMITI HENNEBERGENSI COMITI MARCÆ ET RAVENSBERGÆ DYNASTÆ IN RAVENSTEIN ET RELIQVA

DOMINO MEO CLEMENTISSIMO

SALVTEM ET FELICITATEM!

SERENISSIME PRINCEPS
DOMINE CLEMENTISSIME

SAxo TE appello SAXONVM PRINCIPEM, cujus majores antiquiſſima Vitekindea ſtirpe prognati, pluribus abhinc ſeculis univer-

verſam Germaniam illuſtrium facto-
rum gloria illuſtrarunt. Idque ut
auderem, non unæ me cauſæ impu-
lerunt. Ex quo enim, SERENISSIMI
PARENTIS TVI, DOMINI MEI CLEMEN-
TISSIMI, juſſu, ultimæ pueritiæ TVÆ
ſtudiis præfui, ſingularem TVAM er-
ga me CLEMENTIAM perpetuo ſum ex-
pertus. Quam ut inpoſtorum quo-
que mihi ſartam tectamque conſer-
varem, præſentem diſſertationem in-
auguralem, de Podagra, a me con-
ſcriptam, tanquam pignus devotiſſi-
mi cultus TVÆ SERENITATI offerre de-
miſſe & obedienter tradere non du-
bitavi. Cæterum in religione voto-
rum acquieſco, & laudes TVAS ma-
ximas, incredibilemque in rebus ge-
rendis ſolertiam aſſidue cogito, De-
umque, Principum ſtatorem precor,
ut TVAM SERENITATEM, PRINCEPS CLE-

MENTISSIME, perpetua omnium rerum felicitate augeat, & in expeditione Italica, adverſus Hiſpanos nunc ſuſcipienda, pactis feliciter cum Thracibus induciis, omnem perniciem AB EA longiſſime avertat, ac cum tota SERENISSIMA DVCALI FAMILIA ad annos ducat Neſtoreos, & viribus animi ac corporis ſoſpitet vigentem, florentemque. Quot annorum numero ſit major TVA SERENITAS, tot fiat vegetior, quot attingit dies, tot novæ felicitatis experiatur incrementa. Jenæ, ipſis Kal. Aug. A.R.G. clↃ IↃCCXIIX.

TVÆ SERENITATIS

humilimus cliens
JOANNES CHRISTIANVS ESAV
Medicinæ Doctorandus.

IS vere ſanus, cui dicas: i pede fauſto;
teſtari id corpus non aliunde poteſt.
Sunt remoræ plures motus, ſed ſumma meanti,
quo ſaluo reliquis non niſi cura minor.
Tu merito curas, vt rerum ſuppetat vſus,
vt ventri & lateri, non minor & pedibus.
Hinc jam partus honor, ſtudiorum digna corona,
quam capiti imponet noſter Apollo Tuo!

Nobilisſimo Dn. Doctorando,
Honoris, Affectusque meritisſimi ergo, beneuole applaudit
GEORGIVS WOLFFGANGVS WEDELIVS.

SOlamen miſeris pedibus promittis
& affers,
Vt reliquos artus absque dolore fe-
rant.
Sint agiles artus, fama eſt velocior
illis
Maior, nec deerunt præmia digna
Tibi.

Fauſtæ gratulationis & affectus cauſſa
ſcripſit

IO. ADOLPHVS WEDELIVS, D.
ET P. P.

§ I.

Vox Podagræ græca eſt. Referebantur enim olim a Polluce, apud Dietericum, Jatr. Hipp. p. 1014, αἱ ποδάγραι inter inſtrumenta venatoria, quæ Latinis pedicæ vocantur, unde a Medicis, per analogiam, hoc vocabulum in forum pathologicum tractum eſt, & morbo impoſitum, qui nullum apud Latinos nomen invenit, teſte Plinio; quia ejus, patrumque & avorum memoria, ille in Italia raro viſus & peregrinus habitus fuit. Notat igitur, vi originis & elementorum, ex quibus nomen conſtructum eſt, vitioſum pedum ſtatum, ſive τῶν ποδῶν ἄγρα pedum captura ſalutatur, ſecundum Lucianum: ποδάγρα καλοῦμαι, γινομένη ποδῶν ἄγρα, quod ægri, quaſi ſtrictiſſimis pedicis ligati, pedibus uti nequeant; ſive doloris, ceu ſymptomatis, potiſſimum in hoc affectu urgentis, rationem habendo, ab ἀγρᾶ, mordaciſſima ſerpentis ſpecie, appellatio deducatur. Diverſitatem talismodi etymologias, ex vario accentus apud Latinos Poëtas ſitu colligere licet, quos penultimam ſyllabam modo producere, modo corripere obſervamus. Cum mora enim aliqua

eam

eam pronunciant Virgilius & Ovidius; dum hic, in contumeliam Medicorum, *tollere nodoſam neſcit medicina podagram*, ſcribit, ille autem cavere jubet, ne a frigore *molle pecus ſcabiemque ferat turpesque podagras*, quibus etiam Plauti Agoraſtoclem jungere poſſumus, tardos Advocatos, in Poenuli Act. 3, ſc. 1, ita alloquentem: *Podagroſi eſtis, ac viciſtis cochleam tarditudine*, celeriter e contrario eandem ſyllabam efferunt recentiores, Martialis ſcil. *Litigat & podagra Diodorus, Flacce, laborat*: nec non Claudianus: *Atque nihil prorſus ſtare putat podager.*

§ II. Ex adductis vocabuli podagræ elementis apparet, quam abuſive & improprie a Martiano iſtud non ſolum ad pedum morbum applicetur, ſed etiam ad aliorum articulorum membrorumque dolores, & arthritides particulares, (inter quos noſtrum quoque affectum locum invenire nemo dubitat) extendatur; ut nihil frequentius ſit, quam podagræ genuum, manuumque, imo & dentium nomina audire: quæ tamen, niſi neglectus linguæ Græcæ obſtaret, facile evitari poſſent, ſi articuli, aut membri alicujus dolentem, nec a luxatione, fractura, vulnere, aliave externa vi, ſed ab interna potius cauſa ortam movendi impotentiam indicaturi, nomen laborantis partis cum particula AGRA combinarent, eique τῆς ἄγρας pariter ac ἀγρᾶς valorem tribuentes, capturam cum morſu & punctione affligere innuerent. Qua ratione ſi, præeunte Paræo, malum genua invaderet, *Gonagra*; ſi coxendicem, *Coxagra*, quæ alias *iſchias* audit; ſi cervicem, *Trachelagra*; ſi dorſi vertebras, *Rhachiſagra*; ſi manum, *Chiragra*; ſi cubitum, *Pechyſagra*; ſi

hume-

humeros & ſcapulas, *Omoſagra;* ſi dentes, *Odontagra;* ſi denique pedes, *Podagra* ſalutaretur.

§ III. Retinuerunt Germani hoc græcum Podagræ, latinitate donatum nomen, cujus æquivalens eſt das Zipperlein: quod, eo laborantes, Cippo, inſtrumento captivitatis atque torturæ detenti videantur. Alicubi audit das Pedal/ Podagel/ nec infrequenter totius ſui generis appellationem gerit, quando die Gicht/ it. die Gichter vocatur, rectius die Fueß- Gicht ſalutanda. Ludere videntur, qui podagram, cum Helmontio, per ἀντίφρασιν, *volupe viventium* & morborum principem, aut, cum aliis, morbum dominorum ſalutant. Quamvis enim non, ut *pallida mors, æquo pulſet pede pauperum tabernas, regumque turres*, nullum tamen ſæva talis *furia*, ut Dolæus hunc ſuum tortorem nominat, caput fugit, corripiunturque non pauci inter pauperes & ruſticos hoc morbo; quamvis non adeo frequenter, ut ditiores ſolent, Medicorum opem implorent, ſed domeſticis auxiliis contenti, ſæpe numero, per inepta remedia, ſuos artus miſere corrumpant, ut per tophos & ſcirrhoſos tumores eos ad uſum ineptos redditos viderimus. Opulentior meſſis Medicis inter magnates & alios, lautius viventes, paratur, qui cibis aromaticis, acribus, multoque mero ingratum hunc hoſpitem intra ſuos articulos invitant, unde malum fere nomen podagræ, tantopere a Bilybaldo Birckheimero, Petrarcha, Corrario, Galateo, & propoſitionum, de laudibus Podagræ, autore commendatæ, natum eſt, ut, ceu Veneris Bacchique proles, luxurioſi hominis index habeatur; nec, qui ſacris vacant, & ſobrietatis famam aucupantur, ullo

modo ſcapham ſcapham dici velint, celatoque vero morbi nomine, eryſipelatis, aut ex arctiori calceo, vel contuſione ſuborti doloris tumoriſque ſpeciem prætendant.

§ IV. Cur Podagra a Strabone Gallo, in Hortul. aliisque *Gutta*, in vernacula Gallorum *la Goutte*, & in pluralitatis numero, *les gouttes*, *la Gotta* item ab Italis vocatur, rationem reddit Helmontius, § *1*, Tr. Volupe viventium, &c. (quem rectius commentarium de Podagra vocaſſet) quod ægri ſibi videantur, alicujus ſtillæ lapſus inter oſſium connexus ſentire: neque illis obſcurum eſſe poteſt, quibus antiquorum defluxiones & deſtillationes a ſuperioribus regionibus ad inferiores non ignotæ ſunt, & quam ſolerter nobiliores partes, cerebrum, cor, &c. per ſuam expultricem facultatem, materiam, ſibi ſuperfluam & nocituram, ad partes ignobiliores trudant: ut ex hac eorum hypotheſi neutiquam ipſis difficile declaratu ſit, cur articuli, inprimis a corde remotiores, excrementa acria & mordentia ſuſcipere cogantur. Cui ſententiæ, *cæcitas mortalium* ab Helmontio, jurato catarrhorum hoſte, l. c. appellatæ, a pleriſque equidem ſuperioris ſeculi Medicis, ceu circulationis legibus minus congruæ, aſſenſus denegatus eſt: quam tamen non prorſus condemnandam, ſed, ad explicandos irregulares naturæ motus, rite intellectam, retinendam eſſe, recentiſſimi ſcriptores ex criſibus, aliiſque humorum utilium ac inutilium, ultra circuli limites, pro & expreſſionibus evincere conantur. Quibus, in priſcæ opinionis favorem atque excuſationem, haud infrequentes relationes ægrotantium accedunt, quando conſtan-

ter affirmant, ſe adventantium tortorum prodromos, per unum atque alterum diem, ex nuchæ obtuſo dolore, & ad flexionem inhabilitate, præſenſiſſe; paulo poſt moleſtum ſenſum, relicta priori ſede, regionem renum, mox femur occupaſſe, tandemque ad pedis articulos diverti ſſe. Animum per totum iſtud migrationis tempus inquietum, & ad indignationes pronum, perque ipſas iras ſæpe quidem deſcendentis materiæ peccantis iter acceleratum, dolorumque faces poſtmodum ardentiores redditos, haud raro tamen totum corpus & ſanguinis maſſam, per excandeſcentiam, adeo commota fuiſſe, ut omne, quod nociturum erat, reſolutum, in auras & alia emunctoria abierit. In ipſo autem dolorum in pedibus primordio, eorumque continuatione, ſæpe guttatim aliquid, *ardentis ſtillæ* inſtar, ut Helmontius, Tr. citati § 15, loquitur, in affectam partem cadere, ſtatumque inde acerbiorem evadere.

§ V. Quando per guttam ipſam podagram exprimi diximus, minime illam Paracelſi *guttam* intelligimus, qua is apoplexiam indicat, ab aliis der Tropff vocatam, qui, verbis Brunonis in Lex. ſanguinis guttam e capite ad cor delabi, idque ſuffocare putant. Cum hi affectus ratione generis, cauſæ, ſubjecti, moris & eventus, a ſe invicem longiſſime recedant, & apoplectici, omnis externi ſenſus atque motus expertes, cito pereant, podagrici contra ea nimio plus, & ultra quam volunt, ſuos pedes ſentiant, diuque, & ſæpe ad extremam ætatem, recurrentes inſultus dolorificos experiantur.

§ VI. Qui ad querelas ægrotorum potiſſimum reſpiciunt, definiunt podagram *per dolorem articulorum*

 pedum,

pedum, plus minus acerbum & periodicum, a ſero acri, perioſtium, ligamenta & tendines rodente, inductum: ſed hac deſcriptione illis minus ſatisfaciunt, qui a dogmatico Medico curationem non ad ſymptoma, qua tale, ſed ad morbum potius, cujus umbra illud vulgo dici ſolet, dirigendam; ideoque non in dolore, ceu actionis læſæ ſymptomate, genus hujus ægritudinis ponendum, ſed morbum potius aliquem, læſionis proximum fabrum, nominandum eſſe contendunt. Quapropter eorum aliqui, cum Epiphanio Ferdinando, hiſt. 59, & Joanne Hieronymo Pulverino, tract. de Iſchiad. cap. 150, p. 736, ad morbos auctæ magnitudinis podagram deducunt, & per tumorem definitionem ordiendam eſſe malunt, nec a ſua ſententia dimoventur, quamvis ipſis autopſia opponatur, plurimos pedes, miſere tortos, molem priſtinam retinere, & vel plane non, vel poſt lapſum aliquot dierum demum intumeſcere. Perſuaſi tamen ſunt, ſemper adeſſe, ſec. Ferdinandum, l. c. in internis materiæ collectionem: teneras nimirum nervoſasque perioſtii fibrillas, & glandulas articulorum, a materia morbifica turgente aliquamdiu in ſpaſmos dolentiſſimos diſtendi poſſe, antequam circumjacentia crasſiora corpora, tendines ſcil. ligamenta, muſculi, & ipſa cutis ambiens intumeſcant, vocantque hanc viſibilem protuberantiam effectum & productum mediatum fibrillarum, intus ſub iis latentium, & ſpaſmodice criſpatarum, eamque ægrotis minime formidandam eſſe, cum ſpem remisſionis dolorum eatenus ſpondeat, quatenus perioſtium & glandulæ, ipſaque tandem ligamenta articulorum, hactenus male torta, tandem vicina etiam vaſa lymphatica,

ca, & ſanguiferas venas itidem afficiant, & ita in obliquum trahant, ut in illis contenti liquores tardius procedant, eorumque pars, in poris adjacentium mollium partium ſubſiſtens, eos in viſibilem tumorem attollat. Idem quoque humidum ſtagnans ſalinas & acres in articulis particulas, dolentium ſpaſmorum cauſas, diluere & temperare, ut nocere ceſſent. Producunt hujus ſuæ opinionis explicatorem dolorem dentium, in ſpaſtica vellicatione perioſtii eorum fundatum, &, ad tumoris buccarum adventum, tantum non ſemper mitigatum atque recedentem.

§ VII. Aliis definitur per *obſtructionem membranoſarum, tendinoſarum*, ac *nervoſarum* circa articulos, ex defluxu humoris ſeroſi & acris, eo facto, ortam, ac propter tenſionem membranarum circa articulos, & acrimoniam humorum, eos vellicantem, dolorem cum tumore & motu impedito, per certa intervalla recurrentem, conjunctum habentem. Verum videntur hoc modo generis loco cauſam, in nonnullis ſaltem caſibus occurrentem, eamque non æque proximam ponere, fruſtraque ſimul membranoſas, tendinoſas ac nervoſas partes ſeorſim recitare; cum duæ priores, non, niſi quatenus nervoſæ ſunt, dolorem experiantur, & proinde tantum ultimæ hæ fuiſſent nominandæ, quæ, ab humorum copia diſtenſæ, & ab eorundem acredine vellicatæ, immediatum dolorum ſubjectum exhibent, obſtructione tunc cauſæ ſine qua non locum obtinente, quatenus ea, ſec. Pathol. dogmat. illuſtr. Wedelii, Præceptoris & Patroni mei venerandi, ſect. 3, cap. 6, p. 550, una cum intemperie, extravaſatione, exundatione, ſpina infixa, re-

mora

mora in diſpenſando circulo, inæqualitate manifeſta, & archeo irritato, ad doloris excitationem concurrit.

§. VIII. Secundum Helmontium, Tr. Vol. viv. § 28, Podagra eſt *character morbidus, ſeminaliter in ſpiritu vitæ inſertus, qui ſuæ maturitatis terminis fructum, acidum fermentalem gignit, ſpermaticis partibus confermentabilem, &c.* qua obſcura deſcriptione id potiſſimum conſequi laborat, ut a ſcholarum catarrhis originem affectus hujus vindicet, dum ſpiritum vitalem potius, a, neſcio quo, charactere, vel peregrina & hoſtili idea ſigillatum, pro ſubjecto pariter morbi, ac promocondo materiæ morbificæ venditat: quam tamen in prima culina gigni, & in ſecunda perfici, nec alii negant, nec ipſe Helmontius, Tract. de ſede anim. ad morb. § 10, & paſſim alibi, expreſſis verbis aſſerere dubitat. Sed nolumus ſingulari huic ſententiæ diutius immorari, & impoſſibilitatem generationis acidi ex ſpiritu vitali oſtendere, aut rationes, quibus Autor ipſam, in antecedentibus & conſequentibus paragraphis, ſua ſcribendi methodo, explicare conetur, ventilare, multo minus aliorum opiniones cumulando, chartam implere; cum ad alia nobis properandum ſit.

§. IX. Quodnam ſubjectum in podagra primum doloris & *latentis* tumoris, & ſecundum, hujus ſcil. *apparentis* ſtatuatur, ex § VI liquet. Ubi pedum articuli nominantur; hi enim, & utplurimum quidem, per peculiarem prærogativam, ſiniſtri majoriſque digiti connexio cum primo metatarſi oſſe, ſubjectum *ut quod ſpeciale*, reſpectu totius individui, cui *generalis* dignitas competit, conſtituunt. Diximus *ut plurimum*, quia non

raro

taro in dextro etiam pede, imo in hujus vel ſiniſtri alterutro malleolo primam ſedem belli formari, & poſtea ulterius expandi conſtat. Subjectum igitur ut quo, ſive *ſpecialiſſimum* ipſius morbi, erunt *fibræ perioſtii*, *glandulæ mucilaginoſæ articuli*, & *ligamenta*. Talismodi enim fibroſas membranaceas ſubſtantias, ſec. Picolhomin. Anatom. præl. 6, l. 6, *nobis natura eſt elargita, ut eſſent tangendi organa, earumque ope partes ſenſu vegetiſſimo pollerent*: addimus nos, ut ſimul in p. n. ſtatu crudeliſſimorum tormentorum inſtrumenta evaderent. Videlicet, quando a materia morbifica, ad ruptionis terminum turgente, tenduntur & diſtrahuntur, ut figuram & magnitudinem præter naturalem acquirant, & tandem, in graviori caſu, ſolutio, ipſis hactenus intentata, quam ſcholæ *in fieri* dolorisque formam vocant, in *factam* commutetur; quando ſcilicet ſynovia corrupta, in tophos abiens, articulos occupat, membranas & ligamenta deſtruit, ſæpeque numero ipſam cutem perforat.

§ X. Retulimus in ſubjecti cenſum *articulorum glandulas*, veteribus minus cognitas, quarum, circa juncturas multa ſerie conſitarum, præſentiam ſemet dudum quidem ſuſpicatum fuiſſe, clariſſ. Harderus, in epiſt. ad Dolæum, profitetur; attamen Cloptonem Havers, Anglum, primum earum inventorem exiſtere, lubens concedit. Harum liquorem, in articulorum lubricandorum gratiam, a ſanguine ſeparatum, nec antiquos prorſus latuiſſe, valde credibile eſt. Aperte de eo Paracelſus loquitur, & *Synoviam* appellat, idemque nomen multis aliis etiam viſcerum ſuccis imponit: ſed Helmontius, §

B 20, cit.

20, cit. Tract. relicta ab Anteceſſore ſuo huic vocabulo tributa ſignificationum amplitudine, potiſſimum ad articulorum humidum id reſtringit, & mucilaginem pellucidam, qualis vitulo mactato, amputatis pedibus, e tibiis ſtillat, & § præced. liquorem, ſpermati finitimum, ubertim inter ligamentorum capſulas, oſſiumque contactus effuſum, denotare, inque p. n. ſtatu, ab Archæo furibundo per acidum corrumpi docet, Tr. A ſede anim. § 10. Huic glandularum ſucco junxit modo laudatus Harderus, l. c. ex partium membranearum tendinearumque teneriorum, oſſa pariter & muſculos integentium ac concomitantium, porulis ſtillans lubricansqne ſerum, quod, ubi acrimoniam aliquam acquiſiverit, doloribus tunc velificari, non ſine ratione, putat.

§ XI. Cur pedes, præ reliquis corporis artubus, facilius frequentiusque tantis tormentis ſubjiciantur, plerique ex humili eorum, & a vitali cordis calore remota ſede derivant, propter quam tepidiorem fere ſanguinem accipiant, frigusque terræ & aquæ magis, quam ſuperiora membra, tolerare cogantur, & proinde hiſce aptiores ſint receptioni materiæ, ad excretionem a natura deſtinatæ, ineptiores autem eidem repellendæ, ob muſculorum, ceu validiorum motus tonici & expultricis facultatis inſtrumentorum, penuriam ac teneritudinem. His rationibus, ſi vera fateri volumus, vix equidem omni exceptione majoribus, a nobis tamen inpræſentiarum in ſuo pretio relictis, addunt nonnulli unam, vero minus ſimilem, *motum* videlicet & laborem, a pedibus ſubeundum, humoresque ad eos atrrahentem.

Ve-

Verum quietem ποδαλγία obnoxius magis, quam motum timendam eſſe, inferius ex cauſis patebit, novimusque quosdam, vitæ ſedentariæ deditos, ad laſſitudinem per conclave huc illuc curſitando, gliſcentia triſtis ſenſus in pedibus præludia feliciter diſcutere.

§ XII. Cognita morbi ſede, paucis *cauſæ* quoque nondum in affectum locum depoſitæ, & in operationis actu conſtitutæ, *ſubjectum* tangendum eſt, quod *focum*, per analogiam, vocare ſolent, & duplicem conſiderationem admittit: prout ſcil. longius aut propius ab ægrota parte diſtat, & materiam peccantem rudiorem, aut ad nocendum magis præparatam generat favetque. *Remotius*, ſine dubio, ſec. Helmontium, ventriculus & reliqua, ad primas vias pertinentia viſcera concurrunt, & ſæpenumero cruditates, vix in ſecunda atque tertia concoctione emendandas, cudunt. Sunt enim, verbis rigidi illius Scholarum cenſoris, § 10, Tr. A ſede anim. *in concavo ſtomachi acidum, amarum, ſalſum, nidoroſum, putidum, virulentum, inſipidum &c.* actu primo quidem & materialiter in omnibus, etiam ſanisſimis hominibus; ſecundo autem & formaliter in illis, quos ſua ingluvies & contemtus diætæ, catalogo podagræ candidatorum amplificando, aptos reddit. Stomachum excipiunt humores, qui *propius ſubjectum*, & vehiculum ſpiculorum, utilibus, nutrimentoque corporis deſtinatis particulis permixtorum, exiſtentes, non ſolum per inteſtinum ac progredientem ſuum, ex fermentatione ac digeſtione mixtum, ideoque ad alterationes particularum ſalinarum, ſulphurearum, terrearumque præſtandas, aptisſimum mo-

tum, inchoatam corruptionis telam pertexere, ſed etiam particulas, ad nocendum magis elaboratas, in locum, receptioni commodum, deponere ſolent, ut ibi ſuæ ferociæ ſpecimina edant.

§ XIII. Ex quibus elucet, Helmontium § *29*, Vol· viv. fruſtra negare, *podagram in cruore, multo minus in excrementis exiſtere, cum podagrici primum agitentur in præcordiis, & tam internas potuum ac ciborum, quam externas aëris viciſſitudines ſentiant, imo ſape futuras præſagiant.* Committit enim fallaciam compoſitionis, laboratque probatio ſuæ negationis vitio conſequentiæ. Neque enim allegata *præcordiorum agitatio* omnes podagroſos, ſed eos tantum afficit, quorum ſtomachi cruditatibus, ab Helmontio in proximo § deſcriptis, ſcatent, quæ ibi remotam podagræ cauſam conſtituentes, orificium ejus ſiniſtrum *agitare*, cruorique deinde, & cum hoc pedibus communicatæ, in illis cauſa propinquior dolorum evadere, auctæque a vitioſis alimentis, & inſuper, ſecundum tempeſtatum vicisſitudines, ab aeris gravitate, atque levitate, cum tota humorum maſſa, varie commotæ, malum præſens acrius reddere, imminensque portendere valent.

§ XIV. Fluit ex præmiſſis hiſce ſponte cognitio cauſarum podagræ, in qua, quocunque modo conſiderata, cum primarium φαινόμενον, cujus mitigationem, ægroti unice expetunt, dolor ſit, quem conſtans hactenus Doctorum ſententia triſtem ſenſationem partium nervoſarum, a ſolutione continui confertim, & cum impetu fientem, vocavit; ideo ante omnia quidem,

qualis

qualis iſta ſolutio ſit, & deinde, quinam ejus *faber* exiſtat, conſiderandum eſt. Utrumque nervoſiſſime exponit illuſtris Wedelius, Pathol. pag. 549, ubi ita loquitur: *Per ſolutionem continui intelligitur non unitas ſoluta, ſeu hiatus ad oculum manifeſtus, ſed partium membranoſarum, ſeu fibrarum nervearum potius, in iisdem expanſarum, tenſio. Hæ enim ſunt genuinum ſeu adæquatum tactus ſubjectum, adeoque & doloris; quando ergo tenduntur, roduntur, punguntur, & vellicantur membranæ, oritur dolor.* Quibus verbis non ſolum clarisſime indicatur, quid per φϱάσιν, multis obſcuram, perceptuque difficilem viſam, *ſolutionem* videlicet *continui in fieri & intentatam*, intelligi debeat; ſed etiam modus ejus fiendi, & cauſa immediata traditur, ſimulque ipſam podagram, prout per dolorem inter ſymptomata actionis læſæ depravatæque relata legitur, ad morbos conformationis pariter, ac ſolutæ unitatis pertinere, & ex horum medendi methodo curationem exſpectare, diſcitur.

§ XV. Quicquid igitur ſuo elatere tubulos fibrarum perioſtii, ligamentorum, & glandularum articuli ſpaſtice inflat, ad ruptionis periculum tendit, diſtorquet, roditque & vellicat, id ipſum podagrici doloris cauſa efficiens proxima, mediata autem aliorum tunc allectorum pathematum exiſtit. Mox enim ſequitur motus impotentia, & tanta imbecillitas articuli, ut æger interdum totum pedem cum tibia laxisſime, & per tenue tantum filum cohærere putet, & proinde, ex improvido ejus motu, ingens doloris augmentum percipiat. Supervenit etiam plerumque externus tumor, cum rubedine, & calore tum,

 affe-

affectæ partis, tum totius; videlicet febre continua, cum ſiti, pulſu duro & celeri, vigiliis, averſatione ciborum &c. urina, quæ antea aquea erat, jam rubicundior fit & flammea. Ut alias, pro peculiaris diſpoſitionis cujusvis individui varietate, diverſas afflictiones jam non tangamus.

§ XVI. Quænam autem & cujus indolis illa hoſtilis, nervoſas fibras tendens, continuoque ſolutionem minitans ſubſtantia ſit, veteribus, ob nondum ſatis exploratam ſalium ἐνέργειαν, arduum erat definire. Hinc Græcus Aretæus, Galeno antiquior, &, propter inſignem experientiam, apud Cappadoces ſatis clarus Medicus, de cauſ. acutor. & diuturnor. morb. libr. cap. 12, ſcribere non eſt veritus: veram hujus affectus cauſam ſoli Deo eſſe cognitam, apparentem autem & probabilem tantum hominibus. Hippocrates, lib. de affect. § 32, podagram equidem morbum ſanguinis, in venulis a bile & pituita correpti ſalutat, ſed qualis & quanta iſta corruptio ſit, non addit, nec etiam, notitia chymiæ deſtitutus addere, potuit. Quamvis enim nolens volens, nilque tale cogitans, a modernis per ignem Philoſophis, ideo ſuæ artis compos ac ſocius habeatur, quod lib. de vet. med. § 25, & § 27, &c. plus *tertiis*, ex eorum principiis fluentibus qualitatibus, quam *primis* elementaribus Ariſtotelis tribuerit, paſſim tamen, in tradendis morborum cauſis, *Humoriſtam* agit, & jam ſuo tempore uſitatis, hinc ſucceſſori Galeno aliisque familiaribus phraſibus utitur. Exemplo ſit arthritis, quam lib. de affect. § 31, a *ſolo* vitioſo bilis ac pituitæ motu, *quando in articulos incubuerint*, derivat, nullamque ibi præterea illarum *amaritiei*,

ſalſe-

ſalſedinis, dulcedinis, aciditatis aut acerbitatis mentionem facit, nec etiam, in § ſequente, quisnam præcipue ſapor in ſanguine podagricorum corrupto peccet, explicat.

§ XVII. Vix igitur profundius in cauſæ cognitionem ex Galeni, ejusque γνησίων aſſeclarum, lectione penetrare licet. Nec multo clarius loquuntur, qui, poſt infractam Galeni a Veſalio autoritatem, licentius philoſophari auſi ſunt. Ex quibus unum Fernelium, *virum experientiſſimum & magni judicii atque ingenii*, a Conringio, Introd. in medic. c. 7, § 11, p. 241, ſalutatum, adducemus, lib. 6, de partium morb. & ſymptom. c. 18, ita de hoc affectu differentem, ut etiam ipſum, eodem Conringio judice, l. c. cap. 3, § 31, p. 106, *novitatis, ſi quem alium, cupidum* fuiſſe, ſimul innoteſcat; cum quoad cauſæ *materiam*, ejusque fontem ac vias, morbique imprimis *ſedem* manifeſte ab Hippocratis atque Galeni placitis recedat. Quippe qui proximam atque continentem omnis arthritidis, (ſub qua, ceu genere, podagram comprehendit) ac doloris cauſam, non ſimplicem aliquam intemperiem, ſed humorem præter naturam infixum & adhærentem conſtituere, eumque nec tam varium, atque traditur, exiſtere, nec ſanguineum, nec bilioſum, nec melancholicum unquam, ſed omnino vel pituitoſum, vel ſeroſum eſſe ſtatuit, nec quoque ſanguini permiſtum, ex interioribus ſedibus in articulos fluere, ſed ſub denſa capitis cute, ex venis juglaribus collectum, data occaſione, non per vaſa, aliosve ductus, aut muſculos, ſed ſub laxa cute, ad inferiores regiones, modo has, modo illas, tarde, pro re nata, aut celeriter deſcendere,

& ſic

& ſic ad pedum tandem articulos venire, ibique non, ut aliorum fert opinio, in eorum ſpatium, quod inter oſſium extrema intervenit, ſed in *vincula* duntaxat, ac tendines, eo directas, decumbere ſcribit, peculiaremque hanc de ſubjecto morbi ſententiam, prorſus (niſi ex § 16, Diſſertationis de Arthritide, anno 1713, a D. Præſide, & D. Jo. Samuele Ledelio editæ, mollius explicetur) paradoxam, fruſtra probare conatur, quod *in nodoſa tophaceaque podagra atque chiragra, humor in calculum jam concretus, aperta ruptave cute, plerumque e digitorum articulis, vinculo integro ac illæſo*, eruatur: cum calculus, ſi in *vinculo* concretus eſſet, vix inde, niſi per ſubſtantiæ dilacerationem excerni poſſet. Sunt igitur hactenus relata Ferneliana ita comparata, ut, cum veridico Conringio, l. c. cap. 3, § 31, p. 108, *in ſermone elegantiſſimo majus robur argumentorum deſideraveris*.

§ XVIII. Sed miſſis talismodi ingeniorum fœtibus, & non niſi verbalem demonſtrationem admittentibus hypotheſibus, ad eos tranſibimus, qui per terminos, ex chymia petitos, &, per probabilem analogiam, ſenſibus exponenda principia, *proximiorem* (ut barbaris audit) podagræ cauſam declarant. Inter hos primo loco nominandus venit Paracelſus, qui eam tartareis morbis annumerans, ſub tartaro omnium ſalium ſpecies, aluminis, vitrioli, nitri, ſalis petræ, ac communis comprehendit, &, pro natura horum ſalium, quæ in nobis vel ex via hereditaria, vel cibo & potu, vel aſtrali influentia generantur, diverſos dolores & ſigna variare affirmat. Nec a vero multum recedere videntur, quæ idem Autor de actione ſalium in articulorum ſynoviam habet, quomodo ſcil.

do ſcil. hæc ab illis varie immutetur, & ſuccesſive ab acido ſalino, inſtar albuminis ovi, effervefcendo ſpiſſescere incipiat, & tandem in cretaceam ſeu gypſeam ſubſtantiam coaguletur, nodorumque ac tophorum materiam conſtituat. Reſpondent enim hæc ſatis bene experimentis, a Cloptone Havers, in diſcurſu quarto Oſteologiæ novæ, a p. 255, ad p. 261, per commixtionem mucilaginis articulorum, cum variis ſalibus, puris mixtisque, inſtitutis, & a Dolæo, in cit. Furia podagræ, c. 3, § 9, a p. 53, ad 61, repetitis, ex quibus prona facilitas ſynoviæ ad coagulum ſubeundum patet, & imprimis aceti vini illam coagulandi, ne vitrioli oleo quidem cedens potentia, notanda fuit, acidumque, cum auſtero aliquo combinatum, non tantum, verbis Haverſii, *copioſius coagulum, coloris albi* (tophis podagricorum perquam ſimile) *produxiſſe, ſed illud etiam craſſioris conſiſtentiæ, nec adeo in aqua pura diſſolubile*, ac iſtud, quod cum acido ſolo factum erat, reliquiſſe.

§ XIX. Poſſent hæc phænomena nos facile adducere, ut, cum Helmontio, potiorem affectus hujus cauſam *merum acidum* ſtatueremus; quorſum etiam Sennertus inclinaſſe videtur: quando, poſt recenſitas varias materiæ peccantis qualitates, tandem eas *ſalinorum ſpirituum* naturam plerumque referre ſcribit, per quos vulgo acidos potiſſimum liquores intelligi conſtat. Sed prohibent urenti etiam ſimilis, pulſansque & tendens podagricorum dolor ab eo, quem pura acida excitare ſolent, diverſus, tum liquorum vitalium in tot, ratione temperamenti, & habitus corporis, vitæque generis, diſcrepantibus individuis, multiplex craſis, & alia, quo minus uni ſoli ſalis ſpeciei

C inhæ-

inhæreamus. Id quod etiam Dolæum permoviſſe putamus, ut Furiæ c. 3, § 2, p. 40, cauſam morbi hujus primariam & proximam, liquorem quendam viſcidum, acrem, *ſale acido, vel lixivioſo* corroſivo, magis minusve volatili, vel fixo imbutum vocet; & paucis interjectis lineis, non modo acida, ſed, ob admiſtas particulas terreſtres, *ſubauſtera* quoque ſalia, humores lymphaticos incraſſantia & coagulantia, alleget, & hac ratione idem dicat, quod Paracelſus per tartarum, ſal ſcil. ſulphure & terra remixtum, Mercatus autem per humorem ſeroſum, ſalſum, acrem & tartareum, mutatis loquendi formulis, enunciaverant.

§ XX. Quod vero totus ejusmodi vitioſarum particularum apparatus non ſemper & ubique producendæ podagræ ſufficiat, tot cacochymici, acerbiſſimis humoribus turgentes, & nihilominus tamen a pedum doloribus immunes manentes, probant. Requiritur igitur, præter efficientis cauſæ præſentiam, inſuper certa ſubjecti patientis ac recipientis diſpoſitio, quam Galenus, in Comment. ad Hipp. Sect. 6, Aph. 28, innuit, quando duo ad podagræ generationem neceſſaria, ἀσθένειαν τȣ̃ μέρȣς, καὶ ἐπίῤῥυσιν ἐπὶ τȣ̀ς πόδας χυμȣ̃ περιττȣ̃, *imbecillitatem partis, & influxum in pedes ſucci ſuperflui* eſſe docet. Utriusque requiſiti dudum in ſuperioribus meminimus. In quonam enim talismodi debilitas pedum conſiſtat, quodammodo partim ex ſuperiori § XI, ubi pervulgatam de pedum ad hoc malum aptitudine, ſententiam allegavimus, liquet, partim etiam in ſequentibus, ex cauſarum, remotius ad podagræ generationem facientium

prou

prout in rebus naturalibus, non naturalibus ac præter naturalibus fundantur, perſcrutatione cognoſcetur.

§ XXI. Produximus quoque dudum, § IV, *deſtillationum ac defluxionum*, apud Veteres tantopere decantatarum efficaciam; quarum inſtrumenta ὦσις *pulſio*, καὶ ἕλξις *tractio* habebantur: ut ſcil. pars nobilior, mandantis munere pollens, materiam, ſibi ſuperfluam moleſtamque, per ὦσιν a ſe depellat, imbecillior autem, recipientis onus gerere coacta, non ſolum aliunde advenientem humorem vitioſum ſuſcipere adigatur; ſed inſuper per calorem p. n. incenſa, aut dolorum ſtimulis agitata, per ἕλξιν humidum, tumorum cauſam, aliunde ad ſe alliciat. Utrumque in podagra conſiderari merebatur, cujus fontem frequentisſime ex capite derivabant. Non ea quidem ratione, quam Fernelium finxiſſe, ſuperius, § XVII, indicavimus; ſed quia antiqui ſupremum ventrem excipulum vaporum, ex inferioribus elevatorum, ſtatuebant, eumque, ſequentibus temporibus, per analogiam, ex chymicorum arte deſtillatoria petitam, cum alembico comparabant, unde, ex vaporibus coagulatis, orti catarrhi defluerent in ſubjectas regiones.

§ XXII. Tædioſum eſſet, prolixe recitare, qua ratione majores noſtri, male habentia viſcera, ventriculum videlicet, lienem, hepar, renes, ipſumque uterum ſuum ἐπιβάλλον μέρος ad defluxionum generationem conferre, ſibi aliisque perſuaſerant; quorum intuitu, non omnis articulorum dolor ipſis podagricus appellabatur, qui ſcil. ex luxatione, contuſione, ictu, vulnere, caſu ab alto &c. originem trahebat; ſed ille tantum, & καθ' ἐξοχὴν, qui vel ἀθρόως καὶ βιαίως *ſubito* & *vehementer*, vel

per lentum ῥευματισμὸν in articulos fluebat, & per intertervalla recurrebat. Eam ob rationem Mercatus, lib. 4, de morb. intern. curat. c. 18, p. 431, ita loquitur: *hoc habere omnes articulorum dolores commune, nimirum quod, ut vere articularis morbus ſit, ſive arthritis, ſive podagra, aut iſchias dicatur, prærequirit materiam fluentem, ac morbum effecturam, quæ prolabatur in cavitatem articuli, videlic. in ſedem illam, per quam caput oſſis ſpatiatur: quod ſi ibidem non ſit, ſpurium & illegitimum fieri articularem morbum eſt arbitrandum, quantumvis tam intenſos accerſat dolores, quam legitimus & verus. Quippe univerſa hujus mali ratio, ut Galenus aperte fatetur, 6, aph. 49, ſita eſt in hac peculiari conditione, qua, veluti eſſentiali differentia, ab omnibus aliis articulorum morbis disſidet. &c.*

§ XXIII. Quod ſi jam ad remotiores podagræ cauſas progredi animus fuerit, ſtatim nobis plurimi, ætatis florentis & adultæ maſculi, pannis obvolutos, molliquе pulvinari impoſitos pedes offerent, quorum nonnulli parentum, plures vero propria culpa ſibi podagram acquiſiverunt. Præter hos, haud adeo frequentes, noſtris in regionibus, ſenes ποδαγριῶντες viſendi veniunt: quamvis Hippocrates eos, Aphoriſmo 31, Sect. 3, nominetenus, ceu malo huic præ aliis ætatibus obnoxios, inſeruerit. Id quod tamen de iis tantum valet, qui non magis, quam juvenes, affectus animi gubernare, gulæque peccandi licentiam coërcere ſciunt. In pueris rarisſime acrimonia ſanguinis ſolis pedibus infigitur, ſed plerumque reliquos articulos tantum pererrat, nec ſe unquam podagroſos pueros vidiſſe, fatetur Galenus, in comm. ad Aph. 30 Hippocratis, ſect. 6, ubi illi, antequam coiverint, ab hoc

mor.

morbo tuti pronunciantur. Sed addit Hollerius, in comm. *niſi hereditarius ſit morbus*, ſeque, tantum annos decem natos, iſto laborantes obſervaſſe, aſſerit, & cauſam talismodi præcocis acceſsionis vel in cœlum Gallicum, a Coo diverſum, rejicit, vel quod ægri morbum *a parentibus* contraxerint. Quale exemplum Ettmullerus, prax. cap. de Arthrit. p. m. 469 habet, ubi ſe Nobilem juvenem curaſſe refert, qui, ab ineunte *octavo ætatis anno*, ſæpius podagra correptus fuerat, quod parens ejus, inſigniter podagricus, in ipſo paroxyſmo eum genuerat. Hinc memorabilior videtur alius puer nobilis, qui ſeptem aut octo annos natus, non tantum *podagra*, ſed arthritide inſuper vere & autumno laboravit, idque abſque hereditarii contagii ſuſpicione, teſte Paſchalio, lib. 1, c. 16, Method. curand.

§ XXIV. Eunuchos equidem ſuo tempore Hippocrates, S. 6, Aph. 28, a podagra vexari negaverat: ſed Galenus, in Comm. eos itidem ejusmodi doloribus cruciari affirmat, etiamſi ſibi a Venere temperent. *Tanta enim*, inquit, *eſt eorum deſidia, tam inexplebilis edacitas, tanta crapula, ut etiam ſine coitu podagra corripi poſſint.* Num igitur iſte Eunuchus, quem, vehementer podagricum, ſe noviſſe memorat Hollerius, lib. 1, de morb. intern. ex ſimili cauſa malum contraxerit, non adeo liquet, ac quæ de alio Antonius Muſa Braſſavolus, comm. ad dict. Aphoriſm. memoriæ prodidit, ipſum, natione Turcam, 40 annos natum, ſine barba & effœminatum, cui, per Mahumetis leges, vini potus interdictus erat, clam tamen vinum paſſum adeo largiter potaſſe, ut articulorum dolores inde contraxerit.

§ XXV. Fœminino ſexui promiſerat Hippocrates, Aph. 29, S. 6, immunitatem a dolorifica captura, quamdiu menſtrua purgatio typum ſuum obſervaret; ſed contrarium viſitur toties, quoties ille talem ſe gerit, qualem Seneca, lib. 5, epiſt. 95, deſcribit: *Mulieres cum virorum licentiam æquaverint, corporum quoque vitia æquaverunt. Neque enim minus pervigilant, non minus potant, & oleo ac mero viros provocant, atque, invitis ingeſta viſceribus, per os reddunt, vinumque omne vomitu remetiuntur; æque nivem rodunt, ſolatium ſtomachi æſtuantis; libidine neque maribus cedunt. Quid ergo mirandum eſt, maximum Medicum, ac naturæ peritiſſimum, in mendacio prehendi, cum tot fœminæ podagricæ ſint. Beneficium ſexus ſuis vitiis perdiderunt, & quia fœminam exuerunt, damnatæ ſunt morbis virilibus.*

§ XXVI. Quæ hactenus de ſexu & ætate dicta ſunt, ita capi debent, ut Medicus, prudentiæ ſpeciem ſibi comparaturus, ſedulo caveat, ne improvide morbum ſtatim in argumentum de moribus ægri ducat, & promiſcue omnes, podagra laborantes, intemperantiæ ac libidinis pœnam pendere putet; niſi turpiter falli voluerit. Cum haud raro optimæ notæ, & temperantiæ obſervantiſſimi, utriusque ſexus, homines, paria cum luxurioſiſſimis fata experiantur: dum non ſolum a parentibus ſemina morbifica, in ſuam humorum maſſam diſperſa, accipiunt, ſed etiam conjux a conjuge contaminatur, teneraque quorundam corporum conſtructio, & laxa humorum craſis eos adeo imbelles reddit, ut a mediocribus aëris injuriis, & leviſſimis quibuslibet erroribus

bus diætæ, manifeſtis ſanitatis læſionibus ſubjiciantur; a quibus alii, firmiori textura a natura præditi, ne minimam quidem alterationem ſentiunt.

§ XXVII. Cum h. l. diætæ errorum mentionem fecerimus, manu quaſi ad cauſas procatarcticas ducimur, remotius equidem agentes, attamen plurimum ad podagræ non minus hereditariæ, in viſceribus & humoribus nidulantis, ſuſcitationem, quam novæ generationem contribuentes, corporisque conſervationi pariter ac deſtructioni velificantes. Sunt hæ ſex res non naturales, inter quas aër primum locum tenet: tanto majoris præ reliquis conſiderationis habendus, quanto minori temporis momento eo carere poſſumus; dum inde vitalis humorum motus, vigorque & tonus ſolidarum partium ita dependet, ut is jure primarium activumque animæ inſtrumentum ſalutetur, ejusque proinde prava, & noſtræ machinæ minus accommodata conſtitutio, hanc in pejus mutandi, validiſſima deprehendatur. Quid frigus per prohibitam, ex poris cutis clauſis, ſubtilium excrementorum exhalationem, humorum item, ut ægrius moveantur, ſpiſſationem, tonique pedum debilitationem nocere poſſit, nemo ignorat, nec obſcurum eſt, quantas turbas calor ambientis atmoſphæræ exci- tet, dum ſubtile humidum in auras pellit, ſalia nocitura coacervat & acuit, totamque humorum maſſam exagitat, & cruditates ad partes debiles præcipitat, ut, accedentibus aliis diætæ erroribus, febres arthritis & podagra enaſcantur.

§ XXVIII. Quæ omnia, cum aperto quaſi Marte agant, & inſuper adeo crebro mortalibus accidant, ut

illis

illis commemorandis immorari velle, ſuperfluum videatur, ideo de occulta tantum ejus nocendi poteſtate, in teſtimonium quartum illuſtris Wedelii aphoriſmum aphoriſmi 16, ſect. 3, Hipp. huc vocabimus: *Mutationes corporum ex aëre ſæpe ſubtiliores ſunt, quam ut ſtatim primo intuitu, & promiſcue ſe exerant, vel advertantur.* Mirum igitur non eſt, quod, figuratas loquendi formulas amantes, in aëre occultum vitæ noſtræ cibum latitare venditent: quando ſc. ille, homogeneus noſtris vitalibus principiis exiſtens, amico ſuo elatere humores & ſpiritus in juſto, per ſolidas partes, motu conſervat, & h. p. ſingulorum viſcerum coctiones, inutiliumque portionum, ab utilibus, ſecretiones promovet, tunc anima cum corpore, nobis nil tale cogitantibus, bene valet: verum quando contra ea idem nos ambiens, & in humores atque viſcera, per laryngem, pharyngem & poros cutis admiſſus aër, motu, vitæ noſtræ minus proportionato, gaudet, &, variis ſuperiorum & inferiorum corporum effluviis inquinatus, nobis contrarius fit, ſuisque particulis peregrinis, acribus, ſalinis, acidis, ſulphureis, &c. ſanguinem corrumpit, & in anomalam, ſecundum admiſtorum proprietates, formam transmutat, tunc, præter plurima alia mala, feroces quoque hujus morbi dolores ſuſcitare aptus eſt. Sic evidenter ventus borealis podagricis nocere ſolet, ut, eo diu ac vehementer, inprimis vere & autumno, flante, podagroſi raró fallentia tormenta ſibi præſagire queant.

§ XXIX. Poſt aërem cibus ac potus conſiderandi veniunt, qui hominibus quidem ad vitæ ſuſtentationem & nutritionem, ſpirituumque vitalium refectionem

ſumme

ſumme neceſſarii ſunt: attamen, cum in illis aſſumendis modus excedatur, majorique in copia, etiamſi optimi ſint ſucci, quam ventriculi robur ferre poteſt, ingurgitentur; hinc fit, ut, dum alias ex ſua natura plurimum quidem alimenti præbere poſſent, tamen loco chyli boni, vitioſum præbeant. Quod multo magis contingit, quando una vice ſimul ſibi invicem contrarii devorantur, unde humores crudos, pituitoſos, viſcoſos, flatulentos, acidos & acres excludi veroſimile eſt; qui non ſolum in ventriculo moleſtiam & turbationem, in inteſtinis murmura & tormina progignunt, ſed & nauſeam, ingeniique hebetudinem, ſomnia tumultuantia, ructus, ingratum ingeſtorum ſaporem redolentes, excitant, & homines in varia morborum genera, mortisque pericula conjiciunt.

§ XXX. Hoſce, & reliquos potiores, contra diætam pugnantes errores paucis lineis includit Galenus, Comment. in Aph. 28, Sect. 6, ita loquens: *Hippocratis certe temporibus pauci omnino laborabant podagra, propter vitæ temperantiam & moderationem ſummam. Noſtra vero ætate in tantum auctis deliciis, & luxu, & voluptatibus, ut nihil ſupra addi poſſe videatur, infinita eſt podagra laborantium multitudo; nonnullis nunquam ſe exercitantibus, ſed male coquentibus, ſeque inebriantibus, nullo præſumto cibo, fortia vina potantibus, & venere immoderata utentibus; alias vero, etſi non in omnibus, in uno tamen aut altero ex iis, quæ retulimus, delinquentibus. Et vero ſæpe, cum magnum peccatum eſt, in uno eorum, quod diximus, deliquiſſe ſatis eſſe poteſt.*

§ XXXI. Poſſemus fere ulteriore cauſarum procatarcticarum evolutione ſuperſedere, cum earum potiores a Pergameno tactæ ſint, niſi paucæ adhuc addendæ viderentur. Vini enim potum, ab Avicenna abſolute noxium judicatum, a Galeno, tantum ante cibum, & ad ebrietatem damnari audivimus: nec credibile eſt, moderatum ejus uſum cunctis individuis, coctionis primæ adminicula inde præſtolantibus, noxium evaſurum esſe: modo illa vina, quæ ſubtili acido, particulis ſulphureis plus minus obvoluto pollentia, linguæ quidem grato ſapore blandiuntur, nervoſis autem partibus, per ſua ſpicula, in primis viis vaginulis exuta, turbas concitant, vitentur. Damnat hoc nomine Dolæus, Encycl. p. 636, vinum Gallicum & Hungaricum, eaque maxime obeſſe ſcribit, quod ſub eorum dulcedine ſummum acidum, & acrimonia ignea ac corroſiva occultetur.

§ XXXII. Cum præter acidum, in memoratis vinis latitans, in aliis occulta calx in ſuſpicionem nociture qualitatis cadat, ideo providi ſanitatis curatores, an vina ſalubria aut ad podagram procreandam ſint apta, ex eorum imprimis ſolo natali judicant, aut igne vel per præcipitantia explorare conantur. Hinc Dolæus in Encyclop. cit. p. m. 349 ſcribit: Vina, quæ in locis, ubi multum calcis latet, producuntur, hunc affectum, intellige podagricum, pariunt, non tam tartaro ſuo, quam calce ſua, tartaro incluſa, nocent.

§ XXXIII. Sicuti motus, cujus in præcavenda podagræ acceſſione, uſum dudum § 11, aliud agentes, laudavimus, ſi moderatus debitoque tempore inſtitutus

fuerit,

fuerit, humorum itum atque reditum promovendo, & inſenſibilem tranſpirationem conſervando, magnum bonæ valetudini adjumentum confert: ita immodicus, & ſtatim a menſa factus, ingens quoque eidem detrimentum creat. Humores enim quosvis in irregularem motum citat, partes volatiliores diſcutit, craſſos autem ad membra debilitata fundit, quæ ibidem nervoſum genus rodunt, & varios dolores excitant. Idem incommodum, ſuo modo, a crebris vigiliis timendum venit.

§ XXXIV. Per nimiam quietem, & ſomnum, haud juſto tempore inſtitutum, aut in multam diem protractum, ſpiritus torpeſcunt, tranſpiratio ſufflaminatur, humoresque circumeuntes viſcidi & tardi ad excretiones fiunt: imprimis ſi victus nutrimentum, in quantitate non ſolum excedens, ſed per vinum, aromata, multaque alia condimenta ſpiculis refertum, ſuppeditaverit. Poſſemus Notarii, chiragra & podagra ſimul obruti, exemplum ex § 32, citatæ Diſſertat. de Arthrit. huc quoque trahere, niſi ſimiles caſus quotidie occurrerent. Nec eſt, quod ideo quis denegatum corporis motum a culpa & nocendi facultate abſolvere velit, quia XIX annorum carcer Franciſco Pecchio libertatem ab exquiſita pedum captura comparavit; cum acciſæ ſimul dapes, & anguſto, panis & aquæ, numero comprehenſa fercula, conſtansque inſuper, nec calamitate frangendus viri literati animus, morbum ſuperaverint. Videmus enim quanta incommoda alios captivos premant, ut, quamvis non æque podagram in cuſtodia contrahant, tumorem tamen oedematoſum, & debilitatem pedum

inde reportent, ut poſtmodum facilius articuli eorum ægrotare poſſint.

§ XXXV. Quanta animi affectuum vis ſit, facile ex dictis cognoſcemus, ſi perpenderimus, quid ira in commovendis turbandisque, terror autem & mœror in opprimendis vitalibus & animalibus actionibus valeat. Imprimis autem, & præ reliquis efficax ad ciendam podagram eſt iracundia, ut nutricis infeliciter hujus, a Baccho & Venere genitæ, ſobolis nomen, etiam apud vulgum ſortita ſit. Habet enim hoc vitii, ut, more phthiſios, per eundem morbum, quem accerſivit, ægrotos ad concipiendam, ex levi cauſa, gravem excandeſcentiam diſponat, & ſic novam iſti ad priores ſedes, ex quibus per medicamenta & diætam expulſus eſt, redeundi occaſionem fabricet. Quapropter in podagram proclives, aut eidem jam ſubjecti, non temere materiam iraſcendi ſectari debent: etſi hunc animi motum aliquibus, ad præcavendam invaſionem, bene ceſſiſſe, § IV, p. 5, indicaverimus, & quoque multos per eum a graviſſimis tormentis ſubito liberatos, materiamque morbificam plane diſcuſſam fuiſſe, Practicorum obſervationes teſtentur: cum in phyſicis non minus ac moralibus, duo cum faciunt idem, non ſit idem.

§ XXXVI. Quæ in ſuperiori § XXV, de menſium in fœminis emanſione, § XXVII, de prohibita & nimis promota ἀδήλῳ διαπνοῇ, & § XXX, ex Galeno de Veneris abuſu, inter cauſas podagræ in medium attulimus, exhibent ſpecimina ſiniſtrorum effectuum, quos ægri ex retentione excernendorum, & retinendorum

rum

rum excretione pati coguntur; quorſum etiam intermiſſus hæmorrhoidum fluxus, exſiccatio fonticulorum, & aliæ, a natura atque arte inſtitutæ, & aliquamdiu continuatæ, aut per intervalla repetitæ evacuationes pertinent: adeo, ut ne ſudore quidem pedum, & recrementis, inter horum digitos collectis, absque damno carere queant, qui ſordidis ejusmodi maſſæ ſanguineæ purgationibus aſſueti ſunt. Sic diuturnam quoque ſeminis retentionem nonnullis morbos creaſſe, a Galeno & aliis Practicis obſervatum fuit, dubiumque non eſt, eandem etiam quibusdam podagroſis, ſub certis conditionibus, ceu nocituram, timendam eſſe.

§ XXXVII. Poſſunt nunc, qui unquam ex pedibus, hactenus explicata ratione, laborarunt, divinare, nova tormina iisdem imminere, ſi, ex modo memoratis phænomenis, unum vel plura in corpore ſuo ſeſe prodere animadverterint, & a parentibus morboſis ſe natos, aut calculo obnoxios eſſe, pedesque aliquando luxaſſe, refrigeraſſe, contudiſſe ſciverint, ſimulque errores diætæ in memoriam revocaverint. Hoſtem autem jam ante portas ſtare, ex prodromorum, § IV, p. 5, nominatorum adventu concludere poſſunt, quibus ut plurimum membrorum laſſitudo, articulorum torpor, obtuſus capitis dolor, oſcitatio, horripilatio, & interdum anxietas præcordiorum accedunt, urina parcius fluit, aquoſamque conſiſtentiam habet; manentibus ſcil. in corpore ſalinis & ſulphureis excrementis, & per errorem ad articulos directis.

§ XXXVIII. Præſens tandem malum indicat ſen-

 ſus

ſus in articulis exquiſite triſtis, formicinus, urens pungens, vellicans, & ſubinde per ſtillas ardentes, aut injectas haſtulas exaſperatus, cum dolorifica pedis tenſione ac inflectendi impotentia, inquietudine, vigiliis & averſatione ciborum, &c. Accedunt hinc rubor, &, utplurimum tumor, cum aliquali vel nulla dolorum remisſione, pro quantitatis & qualitatis materiæ peccantis diverſitate: a qua etiam ipſius torturæ gradus dependent, ut vel acerbiores, quales modo deſcripſimus, vel mitiores, longiores item ac breviores evadant. Mitiores autem plerumque primæ invaſiones deprehenduntur, ut ægri eryſipelate ſe correptos eſſe credant, ſpeque non tantum nec diu duraturi, nec reverſuri morbi ſe ſolentur, ſed etiam ab aliis tales haberi velint.

§ XXXIX. Cum tamen podagra ab eryſipelate nudaque inflammatione ſatis bene diſcernatur: quia hi tumores non æque articulos amant, ſed fere muſculoſas potius regiones occupant, quæ ſtatim inde, cum manifeſta febre, rubent, calent, ac tument. Excitant præterea tolerabiles, ex diſtenſione tantum partium ortos & magis ſuperficiales dolores, receduntque poſt lapſum paucorum dierum, niſi, incongrue tractati, in abſceſſus, ad quos, ob ſuam cauſam continentem, diſpoſiti ſunt, abierint. Adhuc promptius a reliquis *fixæ* arthritidis ſpeciebus, in genibus, coxa, manibus, &c. occurrentibus, per toties nominatum ſubjectum; a *vaga* autem, quod ſuam ſedem, ſemel occupatam, conſtanter retineat & repetat, diſcernitur. Quo minus cum lue venerea confundatur, obſtat, quod hæc noctu potiſſimum affligat,

ne

nec in ſolis articulis ſubſiſtat, perque multas alias differentes notas, huc non æque trahendas, ſeſe prodat; ex quibus unam tantum, enormem nim. cariem oſſium, eorumque integumentorum putredinem, nominabimus, cum podagra, ad extremum ſævitiæ gradum provecta, in mollium tantum partium, ligamentorum ſcil. tendinum, & cutis, per tophos diſſolutione acquieſcat. Neque etiam facile quispiam pedis dolorem ac tumorem, ex contuſione, luxatione, fractura, aut refrigeratione ortum, podagram appellaverit: niſi termino recepto abuti, aut eodem indicare voluerit, talem pedem, dicta ratione debilitatum, facilius, quam alium τῆς ἄγρας ſubjectum evaſurum, curamque difficiliorem futuram eſſe.

§ XL. Modificantur enim talismodi circumſtantiæ *prognoſin*, ut podagra, atrox iſtud malum, quamvis lethalitatis, per ſe unquam illatæ, argui nequeat, ultra tamen conſuetos durationis terminos protrahatur, & cum in juvenibus, in quibus vigor naturalis adhuc fortior eſt, minore labore & breviori tempore curetur, quam in ſenibus, his tamen illi pares reddantur, tardiusque convaleſcant, & ſic ex morbo, curtos alios paroxyſmos, ſi rite tractatur, habente, longus fiat, quem Hippocrates, S. 2, Aph. 39, Senes maxima ex parte ad mortem comitari ſcribit: ſi ſcilicet, verbis Galeni, in comm. non majorem, quam juvenes, circa victum continentiam habuerint.

§ XLI. Circumſcripſerat equidem Hippocrates, S. 6, Aph. 49, νοσημάτων ποδαγρικῶν, *morborum podagricorum* terminum quadraginta dierum ſpatio; ſed ipſum

non

non de quavis acceſſione intelligi velle patet, quia τῶν ἀποφλεγμηνάντων, in quibus inflammatio, interprete Almelovio, ſedata eſt, mentionem facit; ut inde colligamus, ipſi de majori tantum gradu ſermonem eſſe, ut erudite Galenus ſenſum Coi explicat, in Commentario, ubi ad tractationem dierum judicatoriorum provocat, ibique variantis longitudinis & brevitatis cauſas latius declarat. Hodierna autem medendi methodus tam altas malo radices agere non permittit, ſed invadenti hoſti, medicamentis, ad profligandum idoneis, ſtatim occurrit, ut, ſi aliquando non cito mitigatur, ægri id culpa fieri veroſimile ſit.

§ XLII. Modus eventus ſecurisſimus eſt, quando materia peccans a natura, ſola vel medicamentis adjuta, reſolvitur, ut per inſenſibilem evaporationem evaneſcat, Cum vero hoc rarius contingat, ideo ſtudendum, ut ejus pars corrigatur, lædendique facultatem deponat, pars vero quovis modo auferatur. Id tamen caveat Medicus, ne querelis ægri, aut cupidine gloriæ, ex cita ſanatione ſperandæ, nimis properet, & cauſam materialem in loco affecto defigat, tophisque occaſionem præbeat, aut per repellentia, ut vocantur, naturam in ſuo motu, ad remotas a corde partes directo, turbet, ut ad cerebrum, nucham, jugulum, pulmones, ventriculum, &c. loca ſcil. ob animalis facultatis ſedem, medullæ ſpinalis initium, ciborum deglutitionem, reſpirationemque & chyloſin conſiderabilia deponatur; unde plerumque graviſſima exoriuntur ſymptomata, & affectus ſoporoſi, convulſiones, reſpiratio anxia, lypothymia, cardialgia, ſingultus, quæ interdum ægros e medio tollunt.

§. XLIII.

§ XLIII. Ex quibus colligitur, quanta cum circumſpectione dolentes pedes, ſec. Hipp. aph. 25, S. 5, gelida aqua conſpergi, aut eidem, ad imitationem exemplorum, ab Hollerio notatorum, prorſus immergi debeant, & quam opportunum ſit, præter Heurnii neceſſarias iſtiusmodi remedii limitationes, ſaluberrima quoque illuſtr. Wedelii monita, iſtum aphoriſmum egregie illuſtrantia, conſiderare.

§ XLIV. Confirmant dicta tot celeberrimorum Practicorum obſervationes, quas huc transferre, inſtituti ratio non permittit, deſcribetque D. Præſes, in Programmate inaugurali, huic noſtræ diſſertationi deſtinato, ſiniſtrum epithematis, dolores ex pedibus ad ſuperiores regiones repellentis, nuper admodum obſervatum effectum. Unicum, quod mihi ante triennium videre hîc contigit, exemplum ſubjungam. Correptus erat civis, hujus oppidi, optimæ notæ, Nicodemus Müller, podagra, cujus cum unus ex amicis miſertus eſſet, doloresque acutisſimos mitigare cupiens, medicamentum refrigerans pedibus, p. n. calentibus, applicaſſet, ſubito quidem manifeſtam urentis cruciatus remisſionem, gratiſſimumque ægroto officium præſtabat; attamen id plane infidum erat, & periculoſis ſymptomatibus ſtipabatur. Videbatur enim totus materiæ vitioſæ exercitus ab infimis partibus ad ſuperiores repulſus, quaſi fervidi humores ex podagricis pedum articulis in nucham transfuſi eſſent, & multiplicatis doloribus eum infeſtarent, non ſine anxietate & metu inſtantis mortis. Eripiebatur tamen, per Dei gratiam, orci faucibus, poſt-

quam per Eſſentiam meam antipodagricam, repetitis vicibus oblatam, naturæ conatus ad ignobiliores regiones iterum dirigebantur, ibique per medicamenta, mox in ſequentibus nominanda, ita coërcebantur, ut æger non ſolum tunc brevi temporis ſpatio priſtinæ valetudini reſtitueretur, ſed etiam ad hunc usque diem, ab iſto malo liberatus, bene valeat.

§ XLV. Nunc ordo diatribes nos proprius ad ægrum accedere, eumque nonſolum a futuris torminibus cuſtodire, ſed etiam a præſentibus liberare, itemque, ne rurſus ab iisdem obruatur, præmunire jubet. Præcavetur autem podagra non ſolum per providam eorum, quæ in ſuperioribus, ejus generationi anſam & materiam ſuppeditare, indicavimus, evitationem, ſed tempeſtivam etiam pravorum corporis humorum expurgationem, natæque & naſcentis acrimoniæ exſtirpationem, ac tandem, imo præcipue, languentis artus inſtaurationem, ne cuilibet allabenti cruditati poros patulos ſedemque vacuam concedat.

§ XLVI. Aeris frequentiores noxas frigus ejus poſt ſe trahit, quod igne corrigitur aut veſtibus, reliquaque ejus vitia contrariis mediis avertuntur. Poſt eum, inter res non naturales, præ reliquis alimentorum regimen in noſtra poteſtate ſitum eſt. Ideo pedum capturam evitare cupientes *devitent*, verbis Avicennæ in cap. de cautela a dolorib. junctur., *potare plurimum vinum generoſum, imo* omne *vinum* : teſtatur enim Rhaſis, 12 continentis, ſe plurimos podagricos, per abſtinentiam ab eo, omnino ſanatos noſſe. In § 34, retu-

limus

limus, quantum Franc. Pechius ad tollendam podagram emolumentum ex tenuiſſimo victu perceperit; quem itidem amplectetur, qui, extra carceris malam manſionem conſtitutus, ſuis pedibus a morbifica captura immunitatem procurare deſiderat, aut unico, eoque innoxio ferculo contentus ſit cum Rogatiano, quem ita D. Seylerus, Conſil. 235, apud Scholzium, p. 692, antea podagricum, priſtinæ ſanitati reſtitutum eſſe ſcribit. Aut abſtineat ſaltem cum aliis, quamprimum leviſſima indicia imminentis calamitatis animadverterit, per unum alterumque diem ab omni cibo: id quod nonnullos, quamdiu vires permiſerunt, in uſu habuiſſe, & adhuc habere, compertum eſt.

§ XLVII. Cum autem plerisque mortalium juſtum diætæ regimen arduum & fere impoſſibile obſervatu ſit, nec etiam ulli liceat humorum vitia, quæ ex impuri aëris & aquæ, omnibus individuis communi & indeclinabili uſu, in nobis naſcuntur, devitare, ideo cuilibet incumbit, in tempore ſeminium podagricum, quod fermentum non incongrue vocant, a parentibus acceptum, vel ex priori acceſſione relictum, ſopitumque pro tempore jacens, prorſus deſtruere, aut ita enervare, ut nullas unquam, vel leviſſimas ſaltem, moleſtias creare valeat. Recte igitur ſanguine abundantes ſibi conſulunt, ſi absque Helmontii, Bontekoe, Gehemæ &c. conſenſu, ineunte vere ac autumno, ex pertuſa vena, aut ſcarificata cute, quantitatem ejus imminuunt, ut in reliqua maſſa relicta ſpicula facilius coerceantur. Num autem, qui aliquamdiu dorſa pedum toties ſcarificari juſſerunt, quo-

ties luna terræ lucidam ſui globi partem denuo obvertere incepit, porro per iſtud remedium ſe tutos a paroxyſmis reddi credent, ideo dubitamus, quia iſtud, absque aliorum auxiliorum uſurpatione, fruſtra adhibitum fuiſſe, non raro animadverterunt.

§ XLVIII. Sunt igitur, qui potius ab hirudinibus quotannis ſuperfluum ſanguinem ex poſterioribus extrahi amant. Haud inutili certe conſilio, ſi hæmorrhoides ſuo officio non rite ſatisfecerint. Alii non copia humorum magis, quam acredine preſſi, ad fonticulos, ſub vel ſupra genua excitatos, peccans excrementum, ne ad pedes fluere pergat, ſalutariter allicere conantur, ut ſenſim & per ἐπίκρασιν imminuatur.

§ XLIX. Inanis autem horum ac præcedentium labor erit, niſi ex ventriculo & inteſtinis, a plerisque, ex mala diæta, collectum mali fomitem exterminaverint; quibus per ſuperiora radix Ipecacuanha, tartarus emeticus & mercurius vitæ, *ſaccharinumque meum emeticum*, ſatisfacient: ut diffuſa aqua Rulandina, nauſeabundoque vitrioli ſale, & poculis antimonialibus, ex vitro antimonii, aut ejusdem regulo conflatis, & propter vini infundendi varietatem, moramque infuſionis, ratione incertæ doſios, minus tutis, carere queant. Ad inferiora cruditates commode per mercurium dulcem ducuntur, recte quidem ex 8 part. mercurii ſublimati, & 6 mercurii vivi, ſec. deſcriptionem Georgii Agricolæ, comm. in Popp. p. 161, ſublimandum, ſed neutiquam, ut idem Autor vult, quater aut quinquies, ſed ſemel tantum, niſi cathartica virtute ſpoliatum quis cupiverit, rectificandum. Miſcetur cum pilulis Panchy-

mag.

mag. Crollii, aut de Eupator. vel ſola conſerv. fumar. aut roſar. Aliis placent pil. tart. Querc., aliis aliæ, nobis *noſtræ Antipodagricæ*, paucis electuarium caryocoſtinum, a Petro Bayero ex hermodactylor. cort. exterſpoliator. diagrid. ā. drachm. ij, coſti, cumin. caryophyll. zingib. ā drachm. j, cum vino & melle, ad juſtam conſiſt. coctis, paratum, & lib. 18, c. 1, Pract. adeo laudatum, ut, cur hodie non plures admiratores invenerit, in medio linquamus; cum ad drachm. ij vel iij ſumtum, bene operetur.

§ L. Multum quoque proderit ſuos pedes ab invaſionibus podagræ tueri volentibus, ſi, poſt primarum viarum expurgationem, per ſudorifera & diuretica, in MS natantes fæces excludere ſtudebunt; inſervientque huic ſcopo ſpir. tartari, eboris, cochlear. liquor corn. cerv. ſuccinat. tinct. Mart., arcan. tart., tartar. vitriolatus Tachenii, vel quod idem eſt, arcan. duplicat. eſſ. lignor. ſcorb. & *mea Antipodagrica*, infuſum theæ orientalis, vel ex indigenis ſpeciebus paratum; cui merito *meum Coffiformem potum*, ex radicibus & baccis diureticis compoſitum, præfero, cum de ejus operatione matulæ teſtentur, ut ideo æque utiliter, antequam malum pedem occupat, quam cum jam in eo ſævit, uſurpetur.

§ LI. Quod ipſam *Curationem* attinet, quamvis multa, ex modo nominatis, in eam quadrent, haud tamen pigebit nonnulla iſtis addere, quæ ipſam materiam morbificam, pedum articulis *jamdudum* infixam (1) *reſolvere reſolutamque educere*, eandem (2) *temperare* ac *corrigere*, ſimulque (3) furentes *dolores ſopire*, & (4) *affectam par-*

tem adverſus futuras invaſiones munire & fortiſicare valent.

§ LII. Merito igitur pro uſu interno, & *primæ indicationis* gratia, Arcanum corallinum Paracelſi, ſec. Hartmannum, p. 63, not. in Croll. ex ☿ vivo, per ternas ſpir. ⊕ affuſiones, & abſtractiones præparatum, reliquis omnibus anteponendum, eique ſoli curatio committenda eſſet, ſi in omnibus ægrotis eandem virtutem, qua, Agricola teſte, l. c. p. 163, cauponem Brünenſem, in Moravia, beavit, edere valeret. A tribus enim granis, extracto Ivæ arthet. immerſis, & per quatriduum oblatis, ille mox doloris expers, hinc poſt paucos dies ὀρθοστάδιος redditus fuit; cum priores paroxyſmi eum plerumque per 6 hebdomadas, & ſic ultra iſtud tempus, ab Hippocrate podagræ definitum, lecto affixum tenuerint.

§ LIII. Verum, cum omnia omnibus convenire, diverſitas ἰδιοσυγκρασίων καὶ ἰδιοπαθειῶν vetet, nec ejusmodi crudioribus mercurii præparationibus promiſcue fidendum ſit; (dum ſæpe plus, quam debent, agunt) nec Paracelſum ipſum, nec etiam Agricolam vires πανακείας purganti huic mercurio præcipitato tribuere auſos eſſe, ex tot aliis, ad podagram ab illis præparatis remediis pateat, ideo huic minerali alium, ex vegetabili & animali regno depromtum, ejusdem ſcil. Paracelſi *pulverem artheticum*, verbis Crollii, chim. p. 324, *ſecure & leniter omnes defluxiones podagricas purgantem*, eique plane, ſi ineptam oſſium humanorum calcinationem exceperis, ſimilem, ex p. 304 Praxios chym. Hartmanni, aut electuar. caryocoſt. Bayeri, ex § XLIX ſubſtituemus.

§ LIV.

§ LIV. Poſt hæc ſecundæ indicationi, & materiæ peccantis *alterationi* inſerviet pulvis Donzellini, conſilio 184, inter Scholziana, pag. 545 deſcriptus, & p. 700, conſ. 238, uberrime laudatus; nec non alter, a Cratone, conſ. 217, p. 611, cum prolixa utendi modo delineatus; quibus innumeros alios, ex calcibus metallicis martialibus, jovialibus, antimonialibus, terreisque abſorbentibus, reſinoſis, gummoſis, gelatinoſisque concretis compoſitos, jungere poſſemus, ſi librum componere liceret.

§ LV. Quid magneſia alba & lactis ſaccharum, abſorbendo, digerendo & abſtergendo valeant, ex Diſſertationibus, ante non multos annos, hic loci, ſub excellentiſs. D. Fickii & D. Præſidis moderamine, ventilatis, novimus. Neque etiam ipſius lactis, in tollenda pariter ac præcavenda podagra, celebrata ἐνέργεια, Greiſelii, Dolæi, aliorumque ſcripta inſpicientem latere poteſt, ut illa huc tranſcribere religioni ducamus; cum vela contrahere, prolixiori diſcurſu lædenda legentis patientia, jubeat.

§ LVI. Properamus igitur ad *externa*: inter quæ, primo loco, moxa occurrit, *reſolvendo*, *alterando* atque *evocando* opem præſtans. Hæc a Buſchovio ex oriente huc citata, a plurimis certiſſimum equidem podagræ remedium judicata eſt; attamen cum ultra vires blandorum cauteriorum, quorum uſus antiquiſſimis temporibus notiſſimus extitit, non multum hactenus præſtiterit, & inſuper jam diu perſonis delicatioribus omne cauterium actuale nimis crudele apparuerit; ideo hoc novum, cum antiquis, apud nos dudum

S fre-

frequentari deſiit, & in eorum locum variis litibus, fotibus ac emplaſtris ægris ſuppetiæ ferri, minime irritis ſucceſſibus cœperunt. Petuntur enim ex laboratoriis chimicorum liquores ſpirituoſi, ſulphureo ſalini, ſimplices & varie permiſti. Horum exemplum poteſt eſſe balſamum podagricum primum Crollii, p. 325. Baſilica chim. deſcriptum, item illud, quod pag. 327, ſecundum notas Hartmanni conficitur. Hiſce ſurrogantur alia. Compertum enim eſt, quod ſpiritui vini camphorato, lumbricor. cochleariæ, &c. ſpiritu ſalis ammoniaci, eboris, viperarum roboratis, ſæpenumero atroces dolores cedant, inprimis ſi *anodyna* & *paregorica* provide admiſcentur, ut *tertiæ* ſimul *indicationi* ſatisfiat.

§ LVII. Cum enim a tenerrima quorundam cute, haud promiſcue talia, admodum cito & violenter eam penetrantia media tolerentur, hinc pro iis, qui mollius tractari debent, Crato in Conſil. 228, p. 669, liquorem ex floribus verbaſci, per æſtatem in vitro clauſo a ſole in tabum reſolutis, ceu tutiſſimum dolorum remedium commendat, ſi cum linteolis, illo imbutis, applicatur. Aliud magis euporiſton, & ſtatim præſens auxilium conſil. 204 offert, quando pedes ſæpe cum urina propria, vel pueri maſculi mundare præcipit; quod præceptum illi feliciter amplexi ſunt, qui pedes calefacto lotio plane immerſerunt, levamenque non tantum dudum dolentibus membris conciliarunt, ſed adverſus futuros quoque ſe muniviſſe crediderunt.

§ LVIII. Tacemus alias pediluviorum formulas, paſſim legendas; cum humida ejusmodi aquoſa non ſemper tuta deprehendantur. Nec etiam litus, anodyna

& nar-

& narcotica in *majori* doſi recipientes, huc pertinent. Hinc juſtiſſimum de unguento anodyno Crollii, quod l. c. p. m. 328, rob, ex fl. roſar. ſylveſtr. & cortic. hyoſcami recent. cum vino paratum, pinguedo ſuilla, opium, crocus & extr. verbaſci conſtituit, eſt p. ead. Hartmanni judidicium: id tantum curam palliativam reſpicere, & caute, ac cum magna prudentia eſſe adhibendum, ne quid pejus fiat, & ex ejus uſu plus contumeliæ, quam laudis reportetur. Quod monitum ſibi quoque dictum putent, qui ſuis inventis, nondum per multiplicem experientiam probatis, nimis tribuunt.

§ LIX. Litus excipiunt emplaſtra, inter quæ iſtud de ranis cum mercurio, & diapalma laudatur. De meo Antipodagrico affirmare poſſum, quod non ſolum parti dolenti, ſed primario etiam pedum plantis, tempore paroxyſmi cum fructu imponatur, ſi intra viginti horarum ſpatium cum novo commutatur, & illico fluvio injicitur. Ad tophos emolliendos efficaciſſimum unguentum commendat Ambroſ. Paræus, oper. chirurg. de Arthrit. l. 17, cap. 20, p. 528, quale hoc eſt: ℞ec. caſei acris & putrefacti ℥ iiij, ſulph. vivi, euphorb. pyrethr. aa. ℥ iij, decoctionis veteris pernæ & porcellorum, q. ſ. ad incorporandum, f. unguentum. Axungia leporis, braſſica prius probe paſti, ad tophos emolliendos aperiendosque, laudatur a Rudolpho Goclenio, libr. experimentor. cap. 60, de articulorum doloribus, p. m. 100.

§ LX. Dolore ſic ſedato, Medici munus, *vi quartæ indicationis*, eſt proſpicere, ut ſanguis a reſtitantibus in eo particulis, in poſterum nocituris, penitus libere-

tur, & ſic partes, a modo ſuperato hoſte adhuc debiles, priſtinum vigorem recipiant. Prius fiet partim per bonam diætam, ut vitentur, quæ, in ſuperioribus, inter cauſas procatarcticas prolixe recitavimus, & in fine diatribes denuo, inter vitanda, recenſebimus. Partim per abſorbentia, invertentia, diluentia, temperantia, præcipitantia, & blande laxantia, ut inde vel per poros cutis, vel per anum, vel per veſicam ille peregrinus hoſpes educatur. Huic fini inſerviunt *pilulæ meæ antipodagricæ, non purgantes*, ſed tantummodo ſanguinem per diureſin & diaphoreſin purificantes. De his quotidie ſumuntur ſeptem, cum *potu Coffiformi*, a me ex variis herbis, radicibus & baccis confecto, & per aliquot menſes continuantur.

§ LXI. Ad corroborationem articulorum, eorumque toni reſtitutionem ſpectant balnea, ex variis ingredientibus compoſita, ac pedum lotiones, ſingulis hebdomadis bis vel ter adhibenda. Formulam pediluvii habet Crato, conſil. 217, p. 615. Præter quod, ſumatur lixivium commune, ex vagi cineribus paratum, in quo chalybs aliquoties extinctus ſit, adjiciantur flores chamom., verbaſci, herb. paralyſ. artemis., abſinth. origan. ped. columbin., &, una atq; altera ebullitione facta, addatur parum ſalis & aluminis. Eligendæ autem ſemper ſunt plantæ nervinæ, blande calefacientes, ſiccantes, & adſtringentes; quales ſunt betonica, ſalvia, chamæpitys, chamædrys, roſæ, geranium, erica, folia quercus, ligna & baccæ juniperi. Illæ inprimis etiam non negligendæ, quæ nervorum & nodorum ſignaturam habent, & ſimul ſunt vulnerariæ, ut plantago, ſabina, leviſticum, poly-

podium

podium, hedera arborea & terreſtris, verbena, veronica, perfoliata, conſolida.

§ LXII. Talismodi pedum lotiones, ſi adhuc aliquid morboſi in articulis firmiter hæret, ad iſtud discutiendum, commendat Euſtachius Rhudius, Art. Med. lib. 2, c. 62, p. m, 315, de articulorum dolore, *admirabile*, ut vocat, *cataplaſma*: Rec. Caſtor. thur. āā drachm. i ſs, medull. cervin. adip. anſerin. ā drachm. iij, ol. aneth. nardin. ā ℥ iiſs, gumm. bdellii, galban. in aceto ſolut. ā ℥ ſs, farin. ſem. lin. fœni gr. ā drachm iij, ceræ q. ſ. m. f. cataplaſma.

§ LXIII. Humidorum balneorum vices poſſunt, pro re nata, quæ *ſicca* a D. Præſide in Proluſione, Diſſertationi de Balneis pedum D. D. Engels præmiſſa, ſalutantur, præſtare, ubi etiam a celeberrimis viris inter optima & tutiſſima, partes affectas non ſolum roborantia, ſed etiam calorem innatum foventia remedia, vinaceorum uſus prolixe deſcriptus legitur; quæ tamen, cum ſingulis tantum annis, poſt vindemiam haberi poſſint, ideo alio tempore aliis contenti eſſe jubemur. Falluntur enim, qui iſta vinacea, non amplius ex ſponte ſuſcepta fermentatione calentia, ideoque cum affuſo muſto aut vino ab igne caleſacta, uſurpari poſſe putant. Deinde hoc quoque bene notandum, quod vinacea, quo uvæ ſunt maturiores, & melioris notæ, eo plus adjumenti afferant, ſecus vero ſe habentia minus proſint.

§ LXIV. Tandem thermarum & acidularum mentio facienda eſt: cum, ſi recte adhibentur, magnum ægris præbeant auxilium. Ex illis autem, præ

aliis potiſſimum convenientes ſunt Carolinæ, in Bohemia, Wisbadenſes, non procul a Moguntia, Emſenſes ad fluvium Lanum. Acidulæ meliores ſunt Wildungenſes, & non procul ab Hamela caſtro, illæ Pyrmontenſes, ambæ in Waldeccia ſcaturientes. Dribergenſes autem in Principatu Paderbornenſi ſuam habent originem, & ægrorum valetudini valde conferunt. Attamen cum Medicorum conſiliis, qui earum naturas habent exploratas, ſunt uſurpandæ, ut ſimul ea præſcribantur medicamenta, quæ patientis temperaturæ ſunt proficua.

§ LXV. Hisce præmiſſis adhuc addere placet curam Podagræ *ſympatheticam transplantatoriam*, quæ variis modis, absque omni ſuperſtitione, maximo tamen cum ægrorum emolumento, mira efficit, etiamſi non a priori accurata, ſed ſaltem obſcura, & a poſteriori tantum, ab effectu, ratio poſſit dari. Joh. Ferdinandus Hertod, in ſua crocologia de arthritide agens, pag. m. 258, experimenti loco hoc habet: ut podagra laboranti applicetur halex, detracta cuticula, magis ſalſa, cum croco: ſecetur dein vena, & fiat affectus transplantatio.

§ LXVI. Mea cura *ſympathetica transplantatoria*, quam hactenus, Deo ſit gratia, probatam vidi, conſiſtit in abſciſſione partium prominentium unguium, tam in pedum, quam manuum digitis. Abſciſſio autem hæc, quod bene notandum, ſub primum novilunii initium, præciſe fieri, & particulæ abſciſſæ linteolo de ægri induſio involutæ, in ipſa hora, ſine mora, trans-

plan-

plantari debent. Quo facto, ægri habenda eſt ratio, an transplantatio minui, aut augeri debeat, ne, ut illuſtris Wedelius in Colleg. chimic. an. 1712, m. April. die 22 habito, bene notavit, effluviorum ſphæram tranſcendat cura. De hac legi merentur Helmontius, & Digbeus in Theatro ſympath. majori & minori. item Johannes Loſelius, de cura podagræ magnetica & transplantat. ſubſect. 6, p. m, 367. Joh. Pharamund. Rhumelius, de cur. podagr. magnet. & tranſplantat. item Martinus Schmuck, tractat. de occulta Magico-magnetica curatione morborum, cap. 73, contra podagram. Balth. Timæus, Epiſt. Med. 8, Lib. 5 de podagræ transplantatione. Horum virorum celeberrimorum ſcripta legant illi, curam ſympatheticam, ut ſuperſtitioſum quid, ex ignorantia, habentes & damnantes, tunc videbunt, quod ſutor ultra crepidam judicare non debeat.

§ LXVII. Eandem ſententiam illi mereri videntur, qui de duobus iſtis, ex uno fundamento profluentibus medicamentis, Aſa ſcil. externo, & Phalaja interno uſui deſtinatis, a Baſilio Valentino Tract. de macrocoſmo,, oder von der groſſen Heimligkeit der Welt/ und ihr Artzeney/ den Menſchen zugehörig/ p. 129 & ſeqq. memoratis, ſiniſtre judicare audent, cum, ſi mecum eorum genuinam præparationem callerent, ſine dubio mitius judicium formaturi eſſent.

§ LXVIII. Coronidis loco curationi ſympatheticæ ſubnectitur victus regimen, ſeu diæta, ſequentibus verſibus, a Marcello Palingenio Stellato, Poeta doctiſſimo, in zodiaco vitæ, pag. m. 151, compoſitis, incluſa:

quot morbos, quotque dolores,
diſpergat nimius potus per membra cibusque
immodicus, ſcatet hinc, tanquam de fonte perenni,
febris & ulcus atrox, ſcabies, porrigo, podagra,
articulosque premens, manibusque infeſta chiragra.
Hinc lippi ſtillant oculi, reſolutaque Baccho,
membra tremunt, dentesque cadunt: olet halitus ori
hinc ſtomachus languens, atque inteſtata venit mors.
pag. III. Ut valeas ſervare memento:
Sit victus tibi, cura tui, ne noxia ſumas,
neve nimis comedas. Solet hoc mortalibus eſſe
maxima pernicies, hinc plurimus ingemit æger.
Præſertim hoc caveas, tanquam lethale venenum,
ne novus in ſtomachum cibus intret, ſi bene nondum
conſumptus fuerit prior, & digeſtus ad unguem.
Nec non quaque die, juſto excreto labore
corpus, vel pedibus gradiendo, vel quid agendo;
quo moti caleant artus. Nam cauſa caloris
eſt motus, ſtomachumque juvat, roburque reducit.
humoresque ſupervacuos putresque reſolvit.
Noli etiam juſta vitam fraudare quiete,
corporis inſtaurat ſomnus vires, animique:
at vigilando nimis, corpus corrumpitur & mens,
Præterea procul eſt mœror pellendus, & omnem
triſtitiam de corde fuga: nam macerat artus,
deformatque ipſum corpus, canosque capillos
ante diem reddit: contra præcordia læta
ætatem efficiunt viridem, robuſtaque membra.

F I N I S.

D. S. L. H. E. G. I. S. A.

EXPERIENTISSIMO VIRO

IO. CHRIST. ESAVO,

MEDICINÆ DOCTORANDO

S. D. P.

BARTHOLOMÆVS CHRISTIANVS RICHARDVS,

SERENISSIMIS SAXONIAE DVCIBVS A BIBLIOTHECA IN ACAD. IENENSI.

Religio mihi eſt denegare officium, quod pro amicitia, quae mihi tecum intercedit, ultro ac mea ſponte tribuendum duxi. Omnino enim ualde te aeſtimo, & inſtitutum reputo laude digniſſimum, quod probo libenter, & artis medendi cultoribus utile eſſe intelligo, & maxime accommodatum. De materia, quam exequeris, nihilo ſecius exiſtimo, quippe quae ab aliis diu quidem occupata, ſed non ita penitus excuſſa eſt,

ut ni-

ut nihil induſtriae tuae exquiſitis
ſimae ſit reliqui. Macte igitur ani
mo peragas, quod agendum eſt
artemque e coelo deuocatam, con
ſilio atque diuturno uſu amplifi
ces, nec minus opem, quam ſalu
tem grauiter aegrotantibus affe
ras, & re factoque inſigniter pro
bes: paucis ut me expediam
quaecunque alii liberaliter promit
tunt, tu omnia praeclara conſe
quutus, luculenter perinde ac in
genue expromas, perficias, prae
ſtes. Ienae ipſis Cal. Aug. CIↃ IↃ C
XIIX.